



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

Creati Ab Urbano IV. qui ante Pontificatum Jacobus Pantaleo dictus,
scripsit, cum esset Patriarcha Hierosolimitanus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

OTHOBONVS FLISCVS Genuensis Innocentij 4. ex fratre nepos Cardinalis, demumque Hadrianus Papa 5. quem rerum potiri, & fato cessisse eadem fere fama tulit, cum esset Apostolicæ sedis in Anglia Legatus, edidit

Constitutiones Ecclesiasticas, quas commentariis illustravit Ioannes Acton Canonicus Lincolnensis. Viterbij iacet in Ecclesia Minorum cum hoc Epitaphio.

Hadrianus quintus Pontifex maximus Flisca è familia nobilissima Genuensi, mensis unius, dierumque nouem magistratum Pontificium gerens xv. kal. Octob. 1276. diem Viterbij functus, hac honorificè sepulturâ, donatur.

CREATI AB VRBANO IV.

qui ante Pontificatum Jacobus Pantaleo dictus, scripsit, cum esset Patriarcha Hierosolimitanus,

De terra sancta librum, quo usus est Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ conscribendo.

Metaphrasin in Psalmum 50. quam habes in Biblioth. veterum patrum.

HENRICVS DE SEGVRIA Gallus, fons & splendor iuris denominatus, ex Archiepiscopo Ebredunensi Episcopus Cardinalis Ostiensis ab Urbano 4. simulatque Pontificatum iniit, renunciatus; Guilielmum Durandû Speculatorem dictum auditorem habuit, & præter eximiam in utroque iure scientiam Theologicâ claruit scripsit

Super quinque libros Decretalium.

Summam vtriusque iuris admiratione dignam,

quæ vulgo Summa Ostiensis vocatur. Obiit
Lugduni anno 1281. sepultus in Ecclesia Prædi-
catorum.

GUIDO GROSSVS ex vico S. Ægidij ad Rhodanū
Gallus, Cardinalis, demum Clemens Papa 4. quem ob
raram vtriusque iuris scientiam præfatus Durandus, Lu-
men iuris nuncupat, Sanctorum Thomæ Aquinatis &
Bonaventuræ æque necessarius fuit, quos non impari li-
brâ perenne deueneratus est. Viterbij anno 1268. naturæ
concessit, sanctitate clarus, quam cilicij perennis vsus in-
signiter indicabat; præterquam quod eum ab omni car-
num esu nunquam non abstinuisse memoriæ proditū
est. scripsit

Vitam sanctæ Eduigis Poloniae Reginae, quam in
sanctarum numerum retulit.

De recipiendarum Causarum ratione, vt refert
Cortefius.

Epistolas, quarum aliquas habes in histotia Regum
Aragonæ, apud Ciaconum & Henricum Ste-
ronem.

Regestique eius volumina 5. in Biblioth. Vaticana
seruatur. Viterbij iacet in æde Prædicatorū cum
hoc Epitaphio, quod in hanc vsque diē stetit.

Lector fige pedes admirans quàm breuis ædes,

Pontificem quartum Clementem contegit arctum,

En datur in cineres Petri successor & heres.

Cuius si memor es, non mundi gaudia quæres.

Hic Iudex primum, quem sic successus opimum

Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur.

Talæque sortitus nomen, iurisque peritus,

Virginis vnus fuit vnicus ipse maritus.

Qui viduatus eâ, mox Christi sorte potius.

Nomencl. Sanctæ Romanæ

*Anitiensis ita dignus fuit Archileuita.
 Præsul ibi factus, post Archiepiscopus actus.
 Pastor ut egregius, Narbonæ præfuit auctus.
 Utque Deo gratus, vir Cardinalibus sociatus.
 Papatus nomen clarum suscepit & omen.
 Sic sublimatus, sic denique clarificatus,
 Perficiendo gradus censetur ad astra leuatus.
 Annis sex denis octo cum mille ducentis
 Transactis Christi, Clemens tumulo datur isti:
 Ut finalis ei det gaudia summa diei, Amen.*

HANIBALDVS HANIBALDENSIS de Molaria
 Romanus, Ordinis Prædicatorum, multæ lectionis, at-
 que indefessi studij Cardinalis, scripsit

Commentaria in quatuor libros Sententiarum,
 cum Lutetiæ Theologiam profiteretur, in qui-
 bus D. Thomæ summam emedullasse videtur.

Quodlibetorum etiam librum, in quo promif-
 cuè & indiscriminatim caligine adopertas quæ-
 stiones abnodare contendit, & vbicunque con-
 stat sibi. Obiit vrbe veteri anno 1272. ibidem
 ad Prædicatores sepultus.

MATHÆVS RVBEVS Vrsinus, inculpata vitæ
 Cardinalis, & S. Francisco iunctissimus, scripsit

De autoritate Ecclesiæ ut notat Eifengrein.

Quædam in Theologia, ut habet Cortesius.

Epistolâsque nonnullas, quarum aliqua Bononiæ
 extant, in Archiuo Monasterii S. Francisci, ut
 notat Tossignanus. Obiit circa annum 1306.

Creati